

rum nonnulla ipsam Mahumedis ætatem superant, ad nostros quidem rythmos accedunt; de syllabarum verò dimensione nihil. Memoria proditum legimus, Harmonium filium Bardefanis, secundo Ecclesiæ sæculo, musicas quasdam cantilenas, & carmina Syriaca ad Græcas leges adornasse. Sed quid hæc ad Moyſis ætatem? Antiquius apud Græcos Poema Homeri, & Hesiodi carminibus nullum est; quæ sanè 600. annis Mosaicis scriptis recentiora sunt. Quis, rogo, post hæc, Hebræorum Legislatorem, Jobum, & Davidem methodicam, & artificialem poësim sequutos fuisse affirmaverit? Quis poëticas regulas pluribus apud Hebræos sæculis in ipso perfectionis culmine obtinuisse, antequam apud cæteras nationes innotuissent, satis confidenter asseruerit?

Porro si quid in pangendis carminibus artis apud veteres Hebræos fuisset, id sanè post excultum adedè diligenter studium linguarum Orientalium nostrâ ætate tandem innotuisset. Heroica si quæ carmina manerent in Moyſe, Jobo, & Psalterio, cur nobis, æquè ac Authoribus, qui illa se deprehendisse arbitrati sunt, non se produunt? Versusne eandem servantes methodum, leges, numerum, harmoniam, rythmum, tot alioquin oculatissimos viros fugerunt? An voces hujus artis peculiare nulla nunquam Authoribus Sacris excidissent; vel saltem in fronte Psalmi, seu Cantici, carminis genus & mensuram nunquam adnotare succurrerat iis, qui vel Musici, & instrumenti nomen tam sæpè adscripserunt?

Occasio etiam pangendorum Canticorum argumento est apertissimo, quo ars omnis & methodus ex Hebræorum poësi abuisse demonstratur. Subitaria enim carmina sunt, quæ pro re nata subito œstro abreptis Sacri Scriptores effuderunt; ut vix ad regulas & artem advertere valuissent.

Poetas quidem vivæ quædam in phantasia excitata imagines, (œstrum appellant) ad carmina impellunt; sed igneus ille, quo feruntur, motus solam carminum materiam, & conceptus instruit, arte verò & otio opus est, quò apto verba ordine digerantur. Omne illud otium & studium Sacris Scriptoribus, extemporaria carmina in ipso populorum tumultu fundentibus, deerant. Moyſes vix transfretato Erythrao Canticum illud creavit, cujus occasione hanc nos Dissertationem scripsimus. David in ipso rerum suarum discrimine, in ipsa negotiorum agitatione, cum scilicet vix, ac ne vix quidem, colligere se tantum nunquam valuisset, quantum poësis artificiosè occupatio exigeret, plures Psalmos effudit.

Cantica etiam illa foeminas non raro, vel saltem viros nullo excultos studio habent auctores, quorum lingua Divini tantummodo Spiritus organum fuit. An illi fortè subito Poeta evasissent, atque exacta ad rythmos & numeros carmina statim procudisse credendi sunt? Anna mater Samuelis, Debora, Judith, Tobias, SS. Vir-

go, Zacharias, Simeon extemporanea carmina sine studio planè & arte effuderunt; solâ enim naturali poësi instructos illos credi par est; quamquam si ad S. Spiritum eorum carminum auctorem attendimus, genus illud esset poësis supernaturalis, ipsaque adeo artis humane regulas transcendentis. Demonstrant planè mihi, quicumque potuerint, quid Cantica ista ab illiteratis Authoribus adornata ab iis differant, quæ Moysem, Davidem, Isaiam, viros artis præceptis, si aliqua fuissent, excultissimos, habent Scriptores. Quæ si frustra diversitas exquiratur, fateamur necesse est, omnem Hebræorum poësim naturâ tantum magistrâ fluxisse, quam scilicet naturam S. Spiritus in homines illapsus servare semper consuevit. Semper enim S. Spiritus in homines illabens peculiare singulorum ingenium servat, velut in eloquentibus eloquentiam, in illiteratis primigeniam omnino ruditatem, ut nihil in illis artis, ejusdem Spiritus magisterio resultat.

Cum verò de stilo emphatico, figuris instructo, grandioribus agit, nihil est à viris nullo quidem studio atque arte excultis, Divino tamen œstro agitat, alienum. Cum enim stilius ille valde Orientalibus arrideat, atque naturâ ipsius inclinatione eò propendeant; nihil est, quominus ad ejus leges verba fundere extemplo, totumque demum Opus scribere potuerint.

Metrica etiam poësis coacta est, nec spontè fluens; eâ enim, qua tenetur, legibus suis, serviendi necessitate, frequenter adigitur, ut voces transponat, epitheta invita etiam accumulât, loquendi phrasas, & voces quotidiano sermone minus usitatas usurpet, periodos inflet tunc maxime, cum otio atque meditatione destituta ad opus accedit. Hanc autem vocum transpositionem, nec voluerant unquam Hebræi, neque, si voluissent, eorum lingua pateretur; epitheta rariora sunt, quam ut turgentia carmina inferant; phrasas etiam ampullosas verborum ambitu, quas apud Græcos & Latinos poëticarum regularum necessitas invenit, abesse apud illos jubentur. Si quæ rara & minus usitata vox interdum offendatur, servare illa reputanda est vivo, sublimi, & pathetico Psalmorum & Canticorum stilo ad pompam simul, & sententiarum gravitatem. Facile etiam in eâ re non quidem Carminis numerus sed harmoniæ & musicæ leges spectatæ sunt.

Si Hebræorum poësis Græcam imitaretur, non esset cur ars, ejus, & præcepta à Scriptoribus subicerentur. Vix enim credimus, quin ars non minimi certè momenti, Scriptorem aliquem nacta fuisset, qui curiositate aliquâ, utilitate, vel saltem genio ad idem argumentum illustrandum, regulasque tradendas animam non adjecisset. Verùm ne verbum quidem ullum sive in sermone, sive in historia Hebræorum occurrit, quo poëticæ professores aliquos apud illos fuisse insinuetur. Non desuerunt quidem apud illos Cantica etiam post inventam apud Græcos artem poëticam scripta; sed illa ejusdem omnino artificii videntur,

ac

ac Moyſis, & Davidis carmina. Utraque musicæ serviunt, quemadmodum & omnis apud veteres Græcos & Latinos poësis; eo tamen discrimine, quòd Græcorum carmina pro vario metro harmoniam determinabant: Hebræorum verò Cantica ad modos quoscumque accommodari poterant; quemadmodum in cantu Ecclesiastico variis pro libito tonis idem Psalmus effertur. Quæ verò apud Judæos obtinet cantilenæ ratio, dum Sacrum Textum in Synagogis recitant, vetustissimam esse ex eo credimus, quòd notæ in Textu adscriptæ, tollendam vocem sive deprimendam designantes, remotissimæ antiquitatis indicium sunt apertissimum. Idem etiam insinuat Hebræorum in ritibus suis maxime paratu facilioribus tenacitas. Cum autem musica illa, non versibus tantummodo numerosis, sed etiam sine methodo, & regulâ scriptis, ipsique adeo soluta orationi convenire possit, nihil sanè ex illa pro contraria opinione

de carminibus Hebraicis, numero adstrictis, deducitur.

Est igitur cur credamus illi, atque conceptum granditatem tantummodo in causa fuisse, cur apud Veteres Hebræos Poeta ab Oratoribus distinguerentur. Accedebant audaciores phrasas, vivus & patheticus, interitus verò & brevis, floridus & fervens stilius, qui rem veluti sub oculis vividius, quam in vulgari sermone, poneret. Quare eorum poemata felicis cujusdam ingenii fetus sunt, quod Dei Spiritus animabat, atque pro eo, quo agitabatur œstro, conceptus suos poëtico & sublimiori stilo, nunquam tamen legibus, & regulis coacto, effundebat. Hebræis sanè nunquam non invisa novitas, neque adedè delicato, ut Græci & Romani, gustu præstiterunt; quare accepta ab Antiquis poësi gravi, seriâ, pathetica, jucundâ, cujus non nisi sermè in rebus Religionis usus, contenti, omne methodicæ poësis, & musicæ studium neglexerunt.

IN LEVITICUM PROLEGOMENON.

LEVITICI nomen ex Legibus ad Sacrificia spectantibus, numeribusque Sacerdotum & Levitarum, Libro inditum est. Quare alterum ejus apud Rabbinos nomen *Lex Sacerdotum*. In Hebræo ex prima voce in exordio Operis occurrente *Vajiera* appellatur.

Post erectum à Moyſe Tabernaculum, Deus tanto majestatis apparatu in sacrum illud tentorium descendit, ut ad illud accedere ne Moyſes postremum ipse auderet, quemadmodum in postremo Exodi capite relatum est. Sed venire renuentem appellans Deus leges illas docuit, quæ septem prioribus Levitici capitibus continentur. Omnium primùm holocausti ritus, & ceremonias, tum eas quæ victimas offerendas, cum eas quæ Sacerdotes immolantes spectant, præscribit (a). Succedunt panis, vini, placentarum, spicarumque viscerum oblationes (b); easque demùm sacrificia pacifica, vel eucharistica excipiunt. Omnes deinde sacrorum ceremoniarum, & victimarum partes, quanam adolenda potissimum diriguntur (c). Hostiæ pro expiatione criminis à Summo Sacerdote commissi, sicut & pro criminibus quæ sive imprudenti populo universo, sive etiam aliquibus ex populo obreperint, suos singula habent ritus, in cap. 4. diductos. Duo succedentia capitula eidem argumento, tum percurrendis variis criminum generibus, sacrificio expiandis, impenduntur. Ibi etiam quæ victimarum partes igne adolenda, quæ verò Sacerdotibus immolantibus cedant (d).

Erecto jam Tabernaculo, Aaron ejusque filii in Sacerdotes, initiante Moyſe, cui Deus Exod. 29. ejus rei dederat mandatum, consecrantur. Eâ occasione sacra Moyſes operatus est, facta ab illo unctioes, atque sanguinis ex ritu asperſiones (e); tum & novorum Sacerdotum, quos ante Aram sistere jussit, oblatarum in eorum consecratione victimarum parte manibus imposita, ac demum jussu Aaron ejusque filii totos octo dies in Tabernaculo continere, ceremonia peracta est. Aaron statim à consecratione sacrum pro suis ac filiorum criminibus operatus est; & cum alterum pararet in holocaustum, & in hostiam pacificam, ignis subito è Tabernaculo egressus, victimas, spectante populo, absumpsit (f).

Nadab & Abiu, filios Aaron, prophano igni aliunde, quam ex Altari, accepto, thure imposito in Sanctuarium ingredi audentes, erumpens subito è loco Sancto flamma corripuit. Eorum funus ne pater lugeret, edita Moyſes lege cavet; additum etiam, ut Sacerdotes à vino abstineant in Tabernaculo (g). Excipit hæc omnia animalium purorum ab impuris discretio (h); purificationis mulierum, statim à puerperio, ceremonia (i); lepra hominum, ædium, & vestium indicia (k); sacrificia pro valetudine à lepra (l); præscriptæ ad eluendos viros qui honoris laborarent, & foeminas post menstrua ceremoniarum (m). Sequuntur ritus pro festo Expiationis solemnis, quo scilicet apparatu Summus Sacerdos in Sanctuarium

c Cap. 3.

f Cap. 9.

g Cap. 10.

h Cap. 11.

i Cap. 12.

k Cap. 13.

l Cap. 14.

m Cap. 15.

a Cap. 1.

b Cap. 2.

c Cap. 3.

d Cap. 4. 5. 6. 7.

n Cap. 16.

riam ingrediatur, quo hircus emittatur (n). Cautum est Israelitis ne alibi quam in limine Tabernaculi sacrificia offerant; vetitus sanguis & morticina (o); lata pro nuptiis leges, quanto nempe cognationis gradu interdicanur. Cum Exteris & Chananaeis connubia (p) interdicta.

p Cap. 18.

Has leges decori, & sanctitati Tabernaculi providentes, (quae scilicet Sancti loci veneratio tanta erat, ut pollutis omnibus ad illum aditus praecideretur) Deus, factus veluti omnium praecedentium legum epilogo, claudit. Repetit e.g. de Sabbati observatione, de praestanda parentibus reverentia praecceptum; vetat iterum Idololatricam, furtum, perjurium, calumniam, odium in proximos &c. Monet ne excidentes messoribus inter metendum spicae colligantur; sicut & messoribus injunctum, ut de industria aliquid relinquunt, quod egenis, spicilegium facientibus, cedat. Sata arboris fructus quinque prioribus annis in cibum ne adhibeantur. Cautum Israelitis, ne prostitutioni nunquam & divinationi, quaecumque demum ea sit, dederit se audeant. Tondendae comae, & barbae superstitiosus Paganorum usus populo interdictus. Observent fenae, comiter habeant Advenas [g], Moloch filios ne offerant; alioquin Dei vindictis ultionis subiectos se norint. Maledicta in parentes, adulterium, nuptiae incestae, crimina nefanda (r), ac tandem magiae & divinationis professio capitalia sunt. Israelitae omnes, ne Sacerdotibus quidem exceptis, legali aliqua macula polluti a sacris Deo epulis abstineant. Sub hac Moyses victimarum vitia, quibus ad sacrificium inepta efficiuntur, singillatim recenset (s).

q Cap. 19.

Tum constituta certae per annum Solemnitates, atque praescriptae in singulas caeremoniae (t). Sunt autem Pascha, Pentecostes, Festum buccinarum, Expiationis, & Tabernaculorum. De ritu parandi lampades Candelabri aurei, sicut & imponendorum panum in Mensa aurea plura, quae ante posita ad Sinai castra erectumque Tabernaculum praescripta fuisse facile suspicamus. Dum his faciendis Moyses occupabatur, vir quidam in iudicium adductus est, usurpatis impietate Dei nominis reus. Hunc Deus extra castra raptum lapidibus confici praecipit; lata simul lege ut eo supplicii genere in blasphemos extendere animadvertetur. Decreta post haec poena talionis in eos, qui proximo suo, vulnere aliquo infligto, injuriam irrogaverint (u). Succedunt leges in monte a Deo Moyse datae de septimo quoque anno, nempe anno Sabbatico, observando; sicut & quilibet quadragesimus nonus annus in Jubilaum destinatur; eo vero recurrente decreta libertas Hebraei generis mancipiis, atque avitae hereditates ad priores dominos reducuntur. Latae sunt in seniores leges; additumque ut singulis Israelitis redimendi fratres suos, mancipii lege captivos; facultas permetteretur (x). Haec omnia excipiunt minae, quibus earundem sanctionum praevicariis terrentur; ac vicissim premia servantibus Legem promissam

r Cap. 20.

s Cap. 22.

t Cap. 23.

u Cap. 24.

x Cap. 25.

sa (y). Denique totum Librum claudunt regule quadam circa res Deo per votum oblatas, ac decimae Tabernaculo offerendae (z).

y Cap. 26.

z Cap. 28.

Porrò si rituum illorum solus veluti cortex, & quid potissimum ad cultum Tabernaculi conferant, spectetur, nihil de illis magnum concipiamus oportet, ut vix in animum possimus inducere, Dominum Sacris, Sanguine, & adipe victimarum constantibus delectari voluisse. Quantum enim victimas augeamus in Altari; concipiamus licet Sacerdotes jugi obsequio Tabernaculo destinatos; Tabernaculum ipsum omnibus vel minima legali labe infectis prohibendum; pompam etiam, & magnificentiam Sancti Loci majorem, quam etas illa ferret; haec sane omnia ideam, quam recti rerum aestimatores de cultu Domino ferendo habent, prorsus non explent. Veris criminibus expiandis majori sane piaculo, quam victimarum sanguine, atque externis purificationibus est opus. Porro verum Sacrificium corde contrito, & humiliato, voluntate recta, & malo affectu vacua, juxta Scripturae phrasim, perficitur (a). Oblatis ab impiis Sacrificiis, nendum Deus non delectatur; sed sepulta jam longa oblivione eorum crimina, iterum, veluti Divinis oculis subjiciuntur. Oblationes Justorum nunquam non Deo jucundae; quippe quibus justitia, & pietas litant. Uno verbo verus Dei cultus probo animi sensu, atque religioso in Deum affectu perficitur [b].

a Psal. 50. 19.

Sacrificium.

Deo spiritus

contribulatus:

cor contritum, & humiliatum

Deus non despiciet.

Vide Jerem. 35.

15. Osee 14. 2.

3. Joel. 2. 12 & b

Phil. 1. 3. de Vit. Mos.

Idcirco Prophetae, quos veluti Divinos veteris Legis Interpretes habeamus oportet, uno omnes ore fatentur, Deum externo Judaeorum cultu, quem terrenis rebus adherentes in Tabernaculo, & Templo impendunt, minus tangi: Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? (Isai. 1. 11. 12. 13.) Plenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Cum veneritis ante conspectum meum, quis quaesivit haec de manibus vestris? Et alibi idem Deus per Amos 5. 21. 22. Odi, & projecit Festivitates vestras, & non capiam odorem ceterum vestrorum. Quod si obtuleritis mihi, holocaustata & munera vestra non suscipiam, & vota pinguium vestrorum non respiciam. Et Jerem. 7. 21. Holocaustata vestra addite victimis vestris, & comedite carnes, quia non sum locutus cum patribus vestris, & non praecipui eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti. Ac si diceret Deus, non ita se victimas exegisse, quasi scilicet illis sive indigeret, sive plurimum delectaretur; sed, inquit, Patres, crassioris populi captivi Deus se se in illis praescribendis attemperans, gravioris mali metu Sacrificia permisit. Ne Demoni victimas mactarent, inquit S. Chrysostomus, Deus victimas sibi mactari permisit (c). Pronos in malum populos, sive corde obduratos, Sacrificiis sive detinendos, sive flectendos censuisse Deum S. Justinus in Dialogo cum Tryphone autumavit. Eo, veluti pondere leviores animos, inquit S. Irenaeus, firmavit, simulque eam

c In Psal. 49.

d Iren. l. 4. cap. 28. e Hom. 7. in Num.

f Adversus Judaeos.

g Cyrill. Alex. l. 4. cont. Julian.

h De curand. Graec. affect.

i In Ezech. 20.

k S. Tho. 1. 2. q. 102. 6. 3.

eam luere poenam voluit pro cultu aurei vituli, & affectato in Aegyptum regressu [d]. Paria apud Origenem legas; qui addit (e) horum Sacrorum aliam forte latentem, & mysticam rationem habere Deum potuisse, ut scilicet eo veluti aggere opposito Judaeos in Sacrificiis illis remoretur, ne in perniciose & superstitiosa Demonum provolverentur; eodem scilicet sacrificio, quo aliqui ex venenis antidota parant. In sententiam Origenis inclinans S. Chrysostomus (f), ait; Deum Sacrificiorum multitudine detinere Hebraeos voluisse, ne scilicet superstitiosis vacarent, quemadmodum sapiens Medicus frigidam permittit agro febri laboranti, ne scilicet sitis desperatione ad interitum adigatur. S. Cyrillus Alexandrinus autumat, sacrificiis illis percipiendis nullam quidem necessitatem in causa fuisse; quod ex Jeremia testimonio supra à nobis allato demonstrat (g). His omnibus Patribus consonant Theodoretus (h), S. Hieronymus, (i) & S. Thomas (k).

Non est tamen cur ex allata Patrum doctrina mala esse omnia simul haec sacrificia, & Deo tantum tolerante, quemadmodum & malum tolerat aliquando, permittant. Deum enim habent non permittentem tantummodo, sed & autorem, qui nempe illa consilio & autoritate suaserit; imò & Deo jubente ad sacrificia quandoque populus cogebatur. Nonne enim Deo fanciente holocausta perpetua vespere & mane constituta sunt? Nonne sua pro singulis recurrentibus Sabbatis, Neomeniis, Solemnitatibus Paschatis, Pentecostes, Expiationis, & Tabernaculorum? Quis, rogo, sacra pro eluendis maculis, atque expiandis, quae imprudenter accidissent, criminibus invenit? Ipse Deus oblatas victimas in actionem gratiarum pro acceptis ab eo beneficiis, sive novis impetrandis excipit. Caeremonie plerumque à Lege praecipite sunt, nec nisi Deo invito, atque ulciscite omittentur; quemadmodum & praemis ad illas praestandas populus alliciebatur.

Sacrificiorum usus jam inde à Mundi exordio obtinuit. Sanctissimi quique viri, qui & ante Legem, & sub Lege vixerunt, nihil antiquius habuerunt unquam, quam ut illa observantiae suae, & reverentiae tributa Deo exhiberent. Celebrantur in Scriptura Sacrificia Abelis, Noe; Abrahami, Melchisedech, Jobi, Jacob, & Isaac, quae sane tantummodo Deum tolerasse vix credimus: cum & praeccepto injunxerit non raro, atque recipere se illa non obscuris indicis, veluti misso de Coelo victimis absumendis igne demonstraverit. Neque Prophetae in Sacrificia quidquam, sed in eorum abusum investiti sunt, Judaeorum persuasionem reprehendentes, qui solis externis caeremoniis fidentes, Legis interim maxima praeccepta, amorem nempe Dei, & proximi, sicut majora hominis in Deum officia, negligerent. Si voluisses Sacrificium, ait David, dedissem utique; holocaustis non delectaberis (l). Sacrificium Deo Spiritus contribulatus; cor contritum, & humiliatum Deus non despiciet. Et alibi [m]; Sacrificium Dissert. Calmet. Tom. I.

l Ps. 50. 18.

m Ps. 39. 7. 8.

ficiam, & oblationem noluisse, aures autem (ad te auscultandum) perfecisti mihi. Holocaustum pro peccato non posuisti; tunc dixi: Ecce venio; nempe cum me invitares. Et alibi Deus in haec verba loquitur. Non accipiam de domo tua vitulos (n), neque de gregibus tuis hircos; quoniam mea sunt omnes ferae sylvarum. Haec igitur, ait Deus, ex te quero; Immola Deo Sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.

n Ps. 49. 9.

Vetus quidam Author apud S. Augustinum, duo esse Sacrorum genere in V. T. observat; alterum nempe in Lege praeciptum; alterum quod singulorum religioni implendum pro arbitrio relinquitur (o). Deus igitur, inquit, libera Sacrificia nunquam ab Israelitis exegit; quare integrum illis erat, si nulla offerre voluissent. Si vero aliqua offerre mallet, ratio ab illis erat habenda Dei, cui litatum accedebant; neque committendum, ut victimas, quae ad manum venissent, nullam factam discretionem offerrent. Sacra enim illa non litando quidem Deo, sed in ultionem instigando valebant; quare apud Malachiam queritur (p): Si offeratis caecum ad immolandum; nonne malum est? Et si offeratis claudum, & languidum; nonne malum est? Offer illud Duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus.

o Apud Aug. quast. ex Utr. Testam. quast. 103.

p Malach. 1. 8.

Cur autem potissimum à Sacris illis Judaeorum Deus abhorreret, cordis non recti habitudo in causa fuit. Omnes enim externo cultui, atque sensibilibus caeremoniis impendendis intenti, soli justitiae suae fidebant; quibus interim Deo potissimum litarent, Sacrificia negligentes, puri nempe cordis, & innocentis spirituales victimas. Quod cortex erat & extimum Religionis, id maxime Judaei curabant; umbram & figuram veritati ipsi & archetypo praesentes. Vetera Sacrificia Messiae Sacrificio praecedebant (q). Celebrabant figuram futurae rei multi scientes, sed plures ignorantes. Quot vero erant, qui hoc figurarum arcanum noscent? Ad tempus praescripta Sacrificia illa ad alteram hostiam & Sacrificium deducebant, tanquam via essent, & preparatio ad illud, à quo sane dignitate, & praestantia vincerentur. Scite S. Irenaeus [r]: Lex & disciplina erat illis, & prophetia futurorum.

q Aug. cont. Faust. l. 20. cap. 18. In victimis peccatorum, quas offerrebant Deo, sicut re tantum dignum erat, prophetiam celebrabant futurae victimae, quam Christus obtulit. Idem in Ps. 39. 7. l. 4. cap. 28.

Quemadmodum igitur literae, figurae, & umbrae plus nimio adhaerere, neglecta interim veritate, rationi absconum fuisset; ita jure meritoque Scriptura, & Patres, cum sibi de ritibus Judaicis agendum proponerent, carnalium Hebraeorum caeremonias, non contempserunt tantum, veluti inutilis, sed reprehendisse, tanquam noxias visi sunt; illud interim addentes, Deum non nisi invitum, & pervicaciae Judaeorum aliquid indulgere volentem, ea Sacrificia tolerasse. Si quis vero alio aspectu considerandam sibi legem dignam habiturum summo illam honore dignam habiturum credimus. Legem duplici aspectu considerandam proponit, post veteres nonnullos, Origenes (s), juxta literam nempe, & secundum Spiritum. De Lege ad literam spectata illud Prophetarum intelligendum est;

s Contra Cel. 1. 7.